

nec aliquid simile, et alioqui corpori nocere potest. Unde ulterius etiam in ætate adulta non esset rationalis intentio illius conformitatis, quia non est licitum homini partem corporis abscindere, vel manum perforare, ut in illo dolore et passione Christo conformetur. Nec etiam est prudentiæ opus velle imitari Christum materialiter, ut sic dicam, in omnibus suis actibus; alioqui celebremus Pascha et comedamus Agnum paschalem, quia ipse hoc fecit, et similia, quæ absurda plane sunt; sed in his imitandus est Christus formaliter, ut sic dicam, id est in obedientia proportionali, ut, sicut ille servavit legem quæ ad tempus illud pertinebat, ita nos nobis datam servemus, etc. Neque obstat consuetudo illius nationis aut tolerantia Ecclesiæ: nam Ecclesia permissive se habet, quia in illo actu in rigore non invenitur error pertinens ad doctrinam, vel judaismum; error autem practicus, et moralis non est tam clarus, ut non potuerit tolerari, et per ignorantiam excusari, eo vel maxime quod gens illa gravioribus laborat erroribus a quibus hactenus non potuit per Ecclesiam emendari.

41. *Nulla ratione licet uti ulla cæremonia legis veteris.* — Atque ex resolutione hujus puncti, generaliter colligo nunquam esse licitum alicui Christiano vel alicui privatæ communitati Ecclesiæ, suo arbitrio ac privata devotione, uti aliqua cæremonia legis veteris ex intentione cultus, etiamsi nullus adsit animus observandi legem, nec utendi tali cæremonia in significatione legali. Et consequenter sequitur legalia nunc esse mortifera per se loquendo, etiam quoad usum hunc quem medium vel mixtum appellavimus. Ita plane sentit D. Thom. in loco supra citato ex 4, quia non de sola circumcissione, sed generaliter loquitur, dicens nunquam fieri licitas tales cæremonias ex intentione bona, quia malæ jam sunt propter prohibitionem. Idemque sentiunt communiter theologi in 4, d. 3, Soto, et alii supra citati, videturque sufficienter probari usu et traditione Ecclesiæ. Item quia talis usus semper habet speciem mali, non ex accidenti tantum, sed quasi per se, supposito Ecclesiæ statu. Denique est optima ratio, quia si talis usus in una vel altera cæremonia ex sola intentione operantis possit excusari vel approbari, eadem ratione in qualibet et consequenter in omnibus, quia non est major ratio de una quam de aliis. Potest vero contra hoc objici cap. unic. de Purific. post part., ubi Innocent. III inquit, licet mulieres post par-

tum non teneantur ab ingressu templi abstinere propter legem Moysi, si tamen abstinere voluerint, devotionem earum non esse improbandam. Respondetur tamen facile, separationem illam seu abstinenciam ab ingressu Ecclesiæ propter aliquam corporalem immunditiam vel indecentiam, non pertinere ad cæremoniam legalem, sed ad honestam circumspectionem et moralem prudentiam. Nec cæremonia legis consistebat in sola illa separatione, sed in modo et observatione dierum, et in aliis cæremoniis quæ in die ingressus et purificationis fiebant. Quod magis in sequenti puncto declarabitur.

12. *Aliud dubium, quid potest Ecclesia circa hoc. — Pars affirmans.* — Hinc enim statim suboritur aliud dubium propositum, an saltem, Ecclesiæ auctoritate interveniente, possit talis usus permitti aliqua ex parte, sive per dispensationem, sive per legem definitentem seu acceptantem talem cæremoniam pro Ecclesiæ usu. Nam partem affirmantem suadere videtur exemplum Apostolorum, qui præceptum dederunt fidelibus, etiam conversis ex gentibus, abstinendi a suffocato et sanguine, Actor. 15, quod tamen ad cæremonias veteris legis pertinebat. Nec refert quod id fecerint propter vitandam offensivam Judæorum, et eo tempore quo legalia nondum erant mortifera, ut paulo post videbimus. Non, inquam, hoc satisfacit, quia illa observantia duravit in Ecclesia usque ad tempora Sylvestri, ut constat ex Concilio Gangren. eo tempore celebrato, cap. 2; et post illa etiam tempora fuit renovatum illud præceptum in Conc. Aurel. 2, cap. 20, et Conc. Wormac., cap. 69. Nec apparet ratio cur non possit Ecclesia illam abstinenciam præcipere, sicut alias præcipit; ergo eadem ratione poterit aliam cæremoniam usurpare, si ad ornatum vel ad alium effectum aptam esse judicaverit. Sic enim multa cæremonialia Ecclesia instituit ad imitationem legalium, ut constat ex c. 2, c. *Sicut*, cap. *Solemnitates*, cum aliis, de Consecr., d. 1.

13. *Pars negans.* — In contrarium vero est, quia hoc modo non magis essent mortifera nunc præcepta cæremonialia, quam judicialia, contra D. Thomæ sententiam a theologis communiter receptam. Sequela patet, quia præcepta judicialia observata nunc ut legalia etiam sunt mortifera; dicuntur autem non esse mortifera, quatenus illæmet actiones possunt per legem humanam renovari et præcipi; ergo si hoc etiam potest licere in cæremonialibus, non

magis sunt mortifera quam illa. Dices hoc esse licitum in judicialibus generaliter, et non solum per ecclesiasticam legem, sed etiam per civilem; in cæremonialibus raro posse id fieri, et non nisi per legem ecclesiasticam. Sed hæc differentiæ non satisfaciunt, quia si licet renovare unam vel alteram cæremoniam, secluso spiritu et significatione legali, cur non singulas et omnes? Nulla enim sufficiens ratio reddi posse videtur. Si autem hoc admittatur, parum referret quod hæc cæremonialia per solam legem ecclesiasticam renovari seu acceptari possint, et non per civilem, quia id non proveniet ex majori cessatione cæremonialium quam judicialium, sed ex eo quod materia cæremonialis seu religionis ad solam potestatem ecclesiasticam spectat. Ergo non videtur posse illa differentia sustineri, nisi dicendo judicialia ita esse mortua quoad legem veterem, ut possint per humanam legem propter suam utilitatem conservari et introduci; cæremonialia vero nullo modo possint, ideoque non solum mortua, sed etiam mortifera esse dicantur. Et confirmari hoc potest ratione qua divus Thomas probat differentiam illam, videlicet, quia judicialia non sunt præcepta principaliter propter significationem, sed propter aliquam utilitatem politicam, vel moralem; cæremonialia vero sunt principaliter propter significationem. Et ideo priorum instauratio fieri potest sine præjudicio veritatis fidei, non vero posteriorum. Ecclesia autem non potest aliquid instituire aut renovare quod sit in præjudicium fidei, et falsam significationem contineat: ergo nulla cæremonialia instaurare potest.

14. Resolutio hujus dubitationis pendet ex alia, nimirum, an hæc prohibitio sit ex jure divino, vel ecclesiastico, seu apostolico, quod dubium melius tractabitur in c. 17; et ideo ibi melius explicabimus immutabilitatem hujus institutionis, et consuetudinis quam Ecclesia habet vitandi usum cæremoniarum legalium tanquam mortiferum et a Deo reprobatum. Nunc ergo solum dicimus Ecclesiam non posse cæremonias illas resuscitare seu admittere, saltem quoad eas quæ erant quasi fundamentales, et substantiales, qualia erant sacrificia, sacramenta et sacerdotium; tum quia repugnaret institutioni legis novæ; tum etiam quia in istis erat principaliter significatio futurorum. De aliis vero secundariis cæremoniis quæ sacra vel observantiæ dicuntur, non est tam certum quod non possint ab Ecclesia usurpari; nihilominus tamen simpliciter ita loqui

possumus, quia vel nulla est talis potestas; vel si est, nunquam potest convenienter ad actum revocari; vel si interdum potest, solum est in aliqua re minima, et propter rationem moralem potius quam cæremonialem, quæ exceptio non impedit quin regula dicta generaliter constitui possit. Hanc vero doctrinam totam in dicto capite explicabimus et confirmabimus.

15. *Quæ cæremonia etiam legis naturæ mortifera esse possint. — Quas cæremonias accidentales accipere potest Ecclesia.* — Ex dictis vero possumus obiter inferre non solum veteris legis cæremonias, sed etiam illas quæ esse poterant in lege naturæ, et prout in illa erant quasi substantiales, vel tanquam signa specialia alicujus fidelis congregationis, etiam cessasse et esse mortifera in lege nova. Explicatur, quia in lege naturæ poterat esse aliquod sacramentum in remedium originalis peccati: velle ergo nunc tali sacramento uti extra Baptismum, perniciosum esset. Similiter erant tunc sacrificia, et consequenter sacerdotium illi tempori accommodatum; hæc igitur et similia tentare in Ecclesiam Catholicam inducere, mortiferum esset, neque ulla humana auctoritate licitum fieri potest. Non quidem propter significationem futurorum mysteriorum quæ jam facta sunt; nam fortasse non erat in illis cæremoniis talis significatio, sed quia talis usus repugnaret institutioni sacramentorum, et sacrificii novæ legis, ut in tertio tomo tertie partis latius declaravi. Ex aliis vero accidentalibus cæremoniis quæ ad ornatum ordinantur, accipere potest Ecclesia quascumque rationi consentaneas et institutioni Christi non repugnantes, sive antea in lege naturæ in usu fuerint, sive non fuerint; hoc enim nihil ad honestatem refert, ut per se constat.

## CAPUT XV.

AN LEX VETUS FUERIT SEMPER MORTIFERA POST INCHOATAM EVANGELII PROMULGATIONEM.

1. *Controversia inter Hieronymum et Augustinum.* — Diximus præcepta cæremonialia mortifera esse in lege gratiæ, quia usus illorum non solum jam non est præceptus, verum etiam est prohibitus; tractandum nunc superest quando illa prohibitio habuerit initium. Ubi simul tractanda est celebris controversia inter Hieronymum et Augustinum, qui in hoc puncto diversas habuere sententias, quas inter se epistolis mutuo missis disputa-

runt, et unusquisque sententiam suam acerrime defendit. Occasio vero prædictæ controversiæ sumpta est ex variis factis et dictis Apostolorum, quæ hoc punctum pro utraque parte dubium reddunt.

2. Nam, ex una parte, legimus in Actibus Apostolorum, post resurrectionem Domini et prædicationem Evangelii, ipsosmet Apostolos exercuisse cæremonias legales; ergo signum est eo tempore non fuisse mortiferas; sed in illo tempore jam erant mortuæ; ergo non simul, sed prius fuerunt mortuæ quam mortifera. Primum antecedens patet Actor. 16, ubi Paulus circumcidit Timotheum, qui erat ex patre gentili, matre Judæa fidei; et cap. 21 dicitur Paulum sibi totondisse in Cenchris caput, quia votum habebat; et cap. 18, seniores Jerusalem tale consilium dederunt Paulo: *Sunt nobis quatuor viri habentes votum super se; his assumptis sanctifica te cum illis, et impende in illis, ut radant capita, etc.*; et postea dicitur: *Tunc Paulus, assumptis viris, postera die purificatus cum illis, intravit in templum, annuntians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio*; et cap. 24 ait Paulus se venisse Hierosolymam eleemosynas facturum, *oblaciones et vota*, et inventum esse purificatum in templo. Quæ omnia faciebat Paulus, ne officulo esset Judæis, ut ipse consulit 1 ad Corinth. 10, suo exemplo monens alios, *ut sine offensione sint Judæis et gentibus, sicut et ego* (inquit) *per omnia omnibus placeo, non quaerens quod mihi utile est, sed quod multis, ut salvi fiant*; et ideo, cap. 9, de se etiam dicit: *Et factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Judæos lucrarer, iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem, cum ipse non essem sub lege, ut eos qui sub lege erant, lucrificerem*. Constat ergo Paulum exercuisse legalia. Petrum etiam illa observasse ex Actor. 10 colligitur; cum enim in oratione vidisset linteum in quo erant quadrupedia, etc., et audivisset vocem sibi dicentem: *Surge Petre, occide et manduca*, ipse respondet: *Absit, Domine, quia nunquam manducavi omne commune et immundum, etc.*, quod pertinet ad legales observationes; et cap. 11, fideles qui erant ex circumcisione *disceptabant adversus Petrum eo quod introiisset ad viros præputium habentes, et manducasset cum illis*, quod est signum illos observasse legalia usque ad illud tempus, quibus non potuit Petrus aliter satisfacere, nisi divinam revelationem eis narrando circa gentium vocationem. Accedit quod gravius

est, quia, licet Act. 15, declaratum fuerit gentiles ad fidem conversos non fuisse obligatos ad servanda legalia, nihilominus aliquod legale præceptum fuit illis impositum, utique abstinendi a suffocato et sanguine; signum ergo est non fuisse tunc mortifera legalia.

3. Aliunde vero videri potest usum legalium nunquam licuisse, ac subinde mortifera fuisse post Christi passionem, ex loco Pauli ad Galatas cap. 2, ubi narrat, cum ipse esset Antiochiæ, venisse illuc Cepham, eumque prius quidem cum Gentibus indifferenter conversatum fuisse et edisse; postea vero cum venissent quidam Judæi a Jacobo missi (inquit), *subtrahebat et segregabat se, timens eos qui ex circumcisione erant*, quod videns Paulus inquit: *In faciem ei restiti, quia reprehensibilis erat*, et infra: *Cum viderem quod non recte ambularent ad veritatem Evangelii, dixi Cepha coram omnibus, etc.* Ubi Paulus damnare videtur factum Petri tanquam illicitum et contrarium veritati Evangelii; quod non alia ratione dictum est a Paulo, nisi quia illa Petri subtractio ad legalium observationem pertinebat; supposebat ergo Paulus eo tempore jam fuisse illicitam observationem legalium; nam si alicui licuisset, maxime Petro, ad quem vel dispensatio vel interpretatio legum pertinebat. Ergo etiam quolibet tempore post Christi Evangelium legalia fuerunt mortifera. Probatur hæc consequentia, quia non est major ratio de illo tempore quam de quocumque alio, vel priori vel posteriori.

4. *Rejicitur sententia affirmans Cepham illum a Paulo reprehensum non fuisse Petrum.* — Non possumus autem hoc loco omnino prætermittere quin breviter rejiciamus sententiam quorundam qui, ut hujus testimonii difficultatem effugerent, dixerunt Cepham illum de quo Paulus ibi loquitur non fuisse Petrum Apostolum, sed quemdam discipulum ex septuaginta Petri Apostoli, Gentilem. Ita refert (ex Clement. Alexandr., l. 5 Hippothiposion) Euseb., lib. 1 Histor., cap. 12, et non improbat; apud Clementem vero nunc nihil de hoc reperimus; Oecumen. autem, in collectaneis epistolæ ad Galat., in eadem sententiam inclinatur, dicens habere apparentiam, et illam sequitur Doroth., in Synopsi, ubi inter septuaginta discipulos ponit Cepham, quem Paulus (inquit) *Antiochiæ redarguit, ejusdem cognominis cum Petro, et Episcopus Carie factus est*. Et ex modernis secuti sunt hanc sententiam Barthol. Camerar. in tractat. de Jejun.,

capite sexto; et Hector Pintus in Daniel., cap. 1. Fundantur præcipue quia hæc opinio est aptior ad vitandas difficultates quæ ex illa narratione Pauli oriuntur. Item ad respondendum infidelibus qui ex illa historia occasionem sumpserunt calumniandi Apostolos, vel quod in doctrina inter se dissentirent, ut de Marcione refert Tertullian.; vel quod inconstantess essent, nunc servando, nunc damando; et nunc conversando cum gentibus, nunc se subtrahendo; quod in Petro notavit Julianus Apostata, ut Cyril. l. 9 contra illum refert; in Paulo vero id notavit Porphyrius, teste Hieronymo. Denique facit pro hac sententia, quod Lucas, in Actibus, non narrat hunc adventum Petri Apostoli in Antiochiam, neque contentionem hanc inter Apostolorum Principes.

5. *Hæc sententia est improbabilis.* — Hæc vero sententia probabilis non est, quia est contra communem Patrum expositorum sententiam, et sine fundamento, imo contra planum contextum Scripturæ, solumque ad fugiendam difficultatem excogitata. Et imprimis Hieronymus ibi contra illam sententiam dicit nescire se alterum vocatum Cepham, præter Petrum. Quod intelligendum videtur de Scriptura sacra: nam alias Martialis Episcopus dicitur vocatus cognomento Cepha; nam in Epist. 2 ad Tolosanens, in initio, ita seipsum nominat, *Servus Dei Apostolus JESU Christi Martialis Cepha*, ut habetur in tom. 3 Bibliothecæ Sanctorum. Ubi in præfatione ad illas epistolas, ut notatur ex Aureliano Episcopo, successore Martialis, in vita ejus, refertur Martialem fuisse consanguineum Petri, et ab illo baptizatum, et magna charitate conjunctum, et inde posse conjectare illum sumpsisse Cephae cognomentum quod ipse sibi attribuit. Verumtamen, quidquid sit de auctoritate illius inscriptionis, licet demus interdum ipsum Martialem sibi assumpsisse cognomen illud, non constat, nec affirmari potest illum communiter fuisse ita nominatum, et ideo verisimile non est Paulum de illo fuisse locutum, præsertim cum sæpe aliis locis Petrum Apostolum Cepham simpliciter vocet, 1 ad Cor. 2, 3, 9 et 15; cumque quasi per antonomasiam Petrus vocaretur eo nomine quod et a Christo illi erat impositum, et idem quod Petrus significaret, ut Hieronymus notat. Accedit quod in eadem vita Martialis refertur, anno decimo quarto a Christi passione fuisse Martialem Roma missum ab Apostolis in Galliam, ut esset Lemovicensis Episcopus, ibique usque ad

vita finem vixisse: non ergo potuit Martialis adesse Antiochiæ, neque esse Cepham illum cui restitit Paulus, cum ex narratione ejusdem Pauli constet illud factum contigisse post decimum-septimum annum a conversione sua, ac subinde post decimum-nonum a passione Domini. Nam conversio Pauli contigit biennio post resurrectionem Christi, et triennio post conversionem ascendit primo Hierosolymam videre Petrum, ad Galat. 1; deinde post quatuordecim annos secundo ascendit Hierosolymam, ad Galat. 2; et postea successit contentio cum Cepha: ergo contigit decimo-nono vel vigesimo anno post Christi passionem; ergo non potuit illa contentio esse cum Martiale, quia jamdiu in suo Episcopatu Lemovicensi residebat. Verum quidem est Dorothæum non dicere Cepham illum fuisse Episcopum Lemovicensem, sed factum esse dicit Episcopum in Caria, quæ est Asiæ provincia, unde non videtur de Martiali loqui, sed de alio Cepha, qui profecto ignotus est, et omnino rejiciendus. Nam si aliquis fortasse ex septuaginta discipulis cognominatus fuit Cepha, non fuit alius nisi Martialis, ut recte notat Baron., t. 4, anno 33, n. 41, juncto ann. 51, num. 25. Constat ergo illum Cepham de quo Paulus loquitur, ad Galat. 2, non potuisse esse illum quem Euseb., lib. 1 Histor., cap. 12, inter septuaginta et duos discipulos numerat, ac subinde fuisse Petrum Apostolum.

6. *Ostenditur magis improbabilitas prædictæ sententiæ.* — Maxime autem hoc ipsum convincit textus ipse beati Pauli; nam prius nominat Jacobum, Cepham, et Joannem, et de his dicit: *qui videbantur columnæ esse*: ergo dubitari non potest quin ibi loquatur de Apostolo Petro. Cur enim Martialem potius quam alium ex septuaginta discipulis inter tres Ecclesiæ columnas, quasi per antonomasiam positas, numeraret? Aut quomodo in illo numero Petrum omitteret, qui erat omnium caput? Præsertim quia de illis tribus dicit: *Cum cognovissent gratiam quæ data est mihi, dexteras dederunt mihi, et Barnabæ societatis, ut nos in gentes, ipsi vero in circumcisionem, etc.* Ubi imprimis pondero verbum *cum cognovissent*, et ex illo colligo cum illis tribus præcipue contulisse Paulum Evangelium quod prædicabat in gentibus, ad quod Hierosolymam ascenderat, ut præmiserat; maxime autem illud conferre debuit cum Petro, ut per se constat: ergo necesse est illum Cepham fuisse Petrum; deinde expendo verbum, *dexteras dederunt mihi*: nam hoc indicat magnam auctoritatem in dante

vel dividente provincias (ut sic dicam); hæc autem auctoritas maxime erat in Petro: denique idem convincit illa particula, *ipsi autem in circumcissione*: nam superius dixerat Paulus Petro creditum fuisse Evangelium circumcissionis, et Deum specialiter fuisse illi cooperatum in Apostolatu circumcissionis: ergo non potuit non comprehendi in illis tribus, qui sibi assumpserunt peculiarem curam circumcissionis: ergo Cephas illis annumeratus non erat nisi Petrus Apostolus. Proxime vero subjungit Paulus: *Cum autem venisset Cephas Antiochiam*, etc.; ergo ibi etiam loquitur de eodem Petro. Patet consequentia, tum quia non est verisimile in tam brevi contextu transiisse ad aliam personam sub eodem nomine, et nunquam alibi in Scriptura sic nominatam, et cum magna totius historiæ æquivocatione; tum etiam quia, cum narrasset ea quæ cum Petro gesserat Hierosolymis, transitum facit ad ea quæ cum eodem Antiochiæ transegerat: nam ideo præmisit acta cum Petro Hierosolymis, quia ad causam Antiochenam conducebant, quam narrare intendebat: ergo ipse contextus cogit ut Cepham illum semper intelligamus fuisse Petrum. Denique hoc etiam convincunt verba illa sequentia: *Et simulationi ejus* (id est, Cephæ) *consenserunt cæteri Judæi, ita ut Barnabas duceretur ab eis in eandem simulationem*. Nam ex his verbis intelligimus fuisse magnam Cephæ auctoritatem, et in ea Barnabam superasse, cum illius factum non solum cæteros, sed etiam Barnabam quodammodo cogeret, quod neque de Martiale, nec de aliquo alio ex septuaginta discipulis cogitari potest.

7. *Frivola evasio a Patribus rejecta.* — Merito ergo sancti Patres, neque ad resistendum hæreticis vel infidelibus, neque ad expediendas alias illius loci difficultates, illa frigida evasione usi sunt, sed pro certo semper supposuerunt Cepham illum fuisse Apostolum Petrum, ut constat ex Tertull. de Præscriptionib. adversus hæreticos, c. 23, et lib. 4 contra Marcion., c. 2, et lib. 5, c. 3; et ex Cyrill. Alexandr., l. 9 contra Julian. in fin.; et ex Hieronym. et August. in epistolis mutuo missis, et in epist. ad Gal., qui id supponunt tanquam manifestum. Idem Chrysost. et Græci omnes, Ambr., Anselm., D. Thom., Rupert., lib. 5 de Operibus Spirit. sanct., lib. 5, alias lib. 1 de Consilio, c. 14, et alii moderni Latini; et optime Greg., hom. 19 in Ezech., ubi in laudem Petri eleganter dicit: *Ecce Paulus in Epistolis suis scripsit Petrum reprehensibi-*

*lem, et Petrus in Epistolis suis asserit Paulum in his quæ scripserat admirandum*, quod late prosequitur. Denique omnes etiam scholastici hanc quæstionem tractantes, quos infra referemus, in hoc consentiunt. Neque refert quod Lucas adventum illum Petri in Antiochiam, et alia quæ Paulus commemorat, in sua historia non narraverit, quia multa etiam alia omisit, neque id est contra veritatem et fidelitatem historiæ, ut Hieronymus recte respondet. Addo denique, quod ad præsentem difficultatem attinet, non multum referre quod ille Cephas fuerit Petrus vel alius discipulus. Nam licet ille esset Martialis, verbi gratia, inde colligitur male fecisse segregando se a Gentibus, ac subinde videtur inferri jam tunc legalia fuisse mortifera, de quo est præsens controversia, quam, quia diffusa est, per discursum sequentium capitum distinctius tractabimus.

## CAPUT XVI.

AN LEX FUERIT SEMPER MORTIFERA EX QUO EVANGELIUM PRÆDICARI CŒPIT, ET TRACTATUR SENTENTIA HIERONYMI.

1. In hoc puncto fuit D. Hieronymi sententia, in comment. Epistol. ad Galat., cap. 2, et Epist. 89 ad Augustinum, post Evangelium semper ab initio prædicationis ejus post Christi mortem, fuisse perniciosum et mortiferum cæremonias legis vere et ex animo observare: quod tanta exaggeratione asseverat, ut contrarium censeat pertinere ad errorem Ebionis et Cerinthi. Unde contra Augustinum tanquam magnum inconueniens et hæreticum infert, quod post Evangelium Christi *Bene faciant Judæi credentes, si legis mandata custodiant*, hoc est, sacrificia offerant, etc. Non inuenio autem apud Hieronymum propria Scripturæ testimonia, quibus hoc punctum specialiter persuadeat, sed illis tantum testimoniis utitur, quibus supra probavimus legem veterem esse jam mortuam, et non posse cum evangelica conjungi. Unde tacite inde infert nunquam potuisse vere et ex corde servari, sine discessione a Christo, juxta illud Pauli ad Galatas 5: *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit*; et illud: *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini*.

2. *D. Hieronymi quatuor rationes.*—Deinde consecutionem illam, quod, si lex erat mortua, erat etiam mortifera, nonnullis rationibus obiter suadet. Prima est, quia servare il-

lam legem jam mortuam vere et ex animo, erat injuriosum Christo, ac legi ejus, quasi illa ad salutem non sufficeret. Secunda, quia talis observatio continebat intrinsece perniciosum mendacium. Nam illæ cæremonia veteris legis significabant Christum ejusque mysteria, ut futura, et non ut facta: unde qui illas vere et ex corde exercebat seu observabat, eo ipso significabat Christum nondum venisse, vel non redemisse homines, vel aliquid simile; hæc enim significatio non erat separabilis ab illis cæremoniis, si ut cæremonia legales fiebant: nam per se primo erant ad illam significationem impositæ, et per eam in ratione legalium cæremoniarum constituebantur. Tertiam rationem præcipue urget et repetit Hieronymus, quia, si aliquando licuisset servare legalia jam mortua Judæis conversis ad fidem, etiam nunc liceret, quia non est major ratio de uno tempore quam de alio. Et ita sæpe infert contra Augustinum, ex ejus sententia sequi licere Judæis fidelibus conjungere legem cum Evangelio, etiam nunc; vel, quod perinde est, tempore ejusdem Hieronymi et Augustini. Quia si Judæis tunc licebat servare, non ex necessitate salutis, sed ex consuetudine solemnitatis, ut ait Augustinus, etiam nunc licebit, quia illa ratio semper durat. Et idem est de alia quam solet tradere Augustinus, scilicet, ut illa lex semper in honore habeatur, nec videatur reprobari tanquam a Deo aliena, ut a multis hæreticis factum est. Quarta ratio Hieronymi est, quia cæremonia illæ, postquam fuerunt mortuæ, non erant indifferentes, sicut est ambulare, et aliæ similes actiones; ergo semper fuit aut bonum, aut malum: non potest autem censi bonum colere Deum cæremoniis ab ipso jam repudiatis et rejectis: ergo semper fuit malum.

3. *Hieronymi expositio de factis Apostolorum.*—Atque hinc coactus est Hieronymus dicere, quoties Apostoli visi sunt cæremonias illas exercere post Evangelium, non vere et ex animo exercuisse, sed per simulationem. Fundamentum ejus est, quia pro certo credit Apostolos in eo usu non peccasse: peccassent autem, si veraciter illa observassent juxta dicta in præcedenti puncto: ergo dicendum est per simulationem id fecisse. Probatur consequentia, quia hoc modo facile excusari possunt a peccato; nam simulatio interdum licita est, non solum in materia politica seu humana, sed etiam in materia religionis, si bono fine et intentione fiat. Hoc ultimum probat Hieronymus ex facto Christi, Luca 8, quando

finxit se longius ire, quæ fuit quædam simulatio. Item ex facto Josue 8, ubi Josue cum suo exercitu fugam simulatam ordinavit, ut hostes in insidiis caperet quas eis paraverat, unde sic dicitur: *Josue vero, et omnis Israel cesserunt loco, simulantes metum, et fugientes per solitudinis viam*; quod factum reprehendi non potest, ut constat etiam ex usu omnium gentium. Pro materia autem cæremoniali adducit Hieronymus factum Jehu, qui simulavit se colere Baal, velleque illi sacrificium offerre, quod fecit insidiosè (ut dicitur 4 Reg. 10) ut disperderet cultores Baal. Addi etiam solet illud 4 Reg. 5, ubi Eliseus permisit Naaman Syro ut simulare posset se adorare in templo Remmon, adorante rege suo.

4. Denique directe etiam ostendit Hieronymus hanc simulationem Apostolorum. Et imprimis de Petro ait, timore compulsus, per simulationem et condescensionem abstinuisse ab eo, quod facere solebat: nam Paulus expresse dicit: *Segregabat se, timens eos qui ex circumcissione erant, et simulationi ejus consenserunt cæteri Judæi, ita ut et Barnabas duceretur ab eis in illam simulationem*. Ergo totum illud ad simulationem factum est, et bona intentione ad vitandum scandalum Judæorum. Neque enim id potuit facere Petrus, quia crederet id esse necessarium; jam enim per revelationem didicerat Evangelii gratiam gentibus esse communicandam, Actor. 10; imo, cap. 11, ipsemet Petrus hoc ipsum alios Judæos docuerat, et cap. 15 cum aliis Apostolis definierat Gentiles admittendos esse ad legem gratiæ sine onere legalium. Deinde Paulum esse usum eadem simulatione, ex consilio Jacobi et seniorum, colligit ex Act. 21, ubi cæteri dixerunt Paulo: *Vides, frater, quot millia sunt in Judæis qui crediderunt, et omnes ambulatorios sunt legis*; ex quo intulerunt inferius: *Hoc ergo fac quod tibi dicimus, etc.*, ubi dederunt consilium de purificatione et oblatione legali, et statim fructum et finem illius simulationis significant, dicentes: *Et sciant omnes, quia, quæ de te audierunt, falsa sunt, sed ambulas et ipse custodiens legem*. Ex quo loco constat Paulum non fuisse purificatum animo colendi Deum, sed hoc simulasse ut nomini suo et famæ consulere, item non habuisse animum observandi legem, sed hoc etiam simulasse, ut alii talem existimationem de illo conciperent, vel certe ut scandalum in ipso non paterentur. Hoc enim expresse videtur confiteri idem Paul. 1 ad Corinth., 9, dicens: *Factus sum Judæis tanquam Judæus, ut Ju-*